

SAPIENTIA.

Omnia in sapientia
fecisti.

Ps. 103. v. 24.

Intellexi quod om-
nium operum; Deinul-
lam possit homo inve-
nire rationem: et quan-
to plus labor verit ad
quaerendum tanto mi-
nus inveniatur.

Ecclesiastes cap. 8. v. 17.

CARMEN XII.

Omnipotenti olim cum de nihilo extudit orbem
Astitit infinita quidem, at non sola Potestas:
Adfuit indivisa comes Sapientia, et ipsa
Artificis quasi dextra manus fuit Omnipotentis.

5 Omnia quae fecit, librato pondere fecit,
Mensuraque DEUS justa, numeroque pependit
Mentis et Artis opus Divinae est orbis et unus
Qui fecit, novit, qui facta est Machina Mundi.
Admirari homines fabricam hanc bene possumus

(Ultra
10 Siquid conamur; siquid molimur, et artem
Qua meditatus eam DEUS est callere putamus
Nempe insanimus, caput insanabile nostrum est.
Quid scimus quaenam fuerint primordia Mundi?

Et tamen audemus, ruimusque in praelia, ritu
15 Andabatarum, et quisque suas vult figere
(leges:

Quisque sibi plaudit; damnat diversa sequentes:
Alterno et risu nos nostra explodimus ipsi,
Ridemusque alios, irridemurque vicissim.

In Mundi centro Terra olim immobilis haerens

20 Pigra quiescebat: sibi nasci et surgere
(solem,

Atque mori, inque vices alternam surgere Lu-
(nam

Et totos coelorum orbis, et Sidera volvi
Circum se in gyros, stans ipsa immota videvat.
Nunc jam Tellurem placuit de sede movere,

25 Inter et errantes illam annumerare Pla-
(netas.

Segnitiei ipsam tandem, piguitque quietis:
Quantum olim deses; praepes jam turbinis instar
Vertitur, immensa est, qua volvitur, orbita,
(cursu.

Interea sopor ingens, socordia Solem

30 Invasit, segnis torpet, languetque quietus
In centro, tellus ubi quondam tarda jacebat.
Vix super axe suo viginti et quinque diebus.
Convolvit se se paulatim, aegreque rotatur.
Ut fessum mutat latus, insistens et eidem

35 Usque loco, et cubito innixus vix volvitur
aeger.

Quin Telluris item saepe est mutata figura.
Sphaera fuit quondam tota undique tota rotunda;
Crescere dein partim coepit, decrescere partim,
Instar ovi facta est. Primo qua desinit axis

40 Qua polus immensos orbis sustentat uter-
[que
Plana fuit: sic jusserunt *Newtonus* et *Huigens*;
Contra est nunc; bino se vertice porrigit, illac,
Qua mundi cardo est, vertexque Aquilonis, et
[Austri;
Atque Æquatorem versus depressa fatiscit.
45 Passim invertuntur sic pro nostro omnia
[nutu,
Ad libitumque novas leges imponimus orbi.
O bene quod nunquam nostra haec mandata fa-
[cessit.
Et surdas nostris opponi legibus aures!
Deliramenta et mera sunt insomnia quidquid
50 Ignari audemus. Si nostris legibus iret
Orbis, jam dudum pessum, et susdeque ruisset.
Divina omnino est qua stat Sapiencia Mundus.
Qua ratione illum Omnipotens compegerit olim,
Quave illum, postquam fecit, ratione gubernet,
55 Caligo alta est, nosque latet semperque
[latebit.
Quanto plus homines insudent, plusque laborent,
Tanto equidem minus invenient: [a] pejusque la-
[babunt,
Tum cum jam pedibus credent se insistere firmis.
En cœlo [nam stellarum nec nomina scimus]
60 Ursas intulimus, Taurosque Caprosque
[bicornes,
Atque Leonem, et Delphinum, Cancrumque Lu-
[pumque,

[a] Eccles. 8. v. 17. et ultimo.

Atque Canem, atque etiam Leporem, pluresque
[Dracones,
Et vix non totidem quot sunt animalia terris,
Sic balbutimus, sic et blateramus inepti!

65 Nec quot sint cœlo stellæ nemerare va-
[lemus.
Unus et ipse DEUS numeravit nomina quique (a)
Stellæ cuicumque appellat, numerosque recen-
[set.
Vel quæ calcamus pedibus, manibusque te-
[nemus
Haudquaquam capimus. Mens, Ars Divina re-
[fulget
70 In minimis etiam, quæ nos praetervolat
[omnes.

Abjectis etiam in rebus Sapiencia prorsus
Digna DEO est nullaque humana imitabilis arte.
En parvum culicem. Quid toto vilis orbe est?
Et tamen ille cibos manducat, concoquit: alvus

75 Illi est, osque, cibus sugendis, atque co-
[quendis
Sunt oculi gemini, pectusque animique viriles:
Bellator gestat galeamque tubamque sonantem,
Quam procul audimus cum necdum cernimus
[ipsum.

Sex, octove pedes insunt, si forte libebit

80 Ire pedes. Sed multivagis quatit aëra pen-
[nis,
Audet et adversos contra ire, lacescere ventos.
Praeterea arma etiam stimulumque proboscide
[gestat,

(a) Ps. 146. v. 4.

Quem trux infigat totum, totumque cruentet,
Siquis ab exiguo sibi non bene caverit hoste.

85 Mole Culex minor est alius: fert lampada
(secum

Ardentem, volat innocuus, non bella ciere
Non inflare tubam, stimulumve infigere novit;
Nam solis bellum movet, indicitque tenebris,
Nec patitur circum se atram nigrescere noctem;

90 Noctivagam alatum taedam fert ille fa-
(cemque.

Hunc *America* ferax, cum ver se se explicat al-
(mum.

Progignit passim: credas ab sulphure vivo
Accendi flammam, quas parva continent alvo
Abscondit lucem interdum, dein rursus eandem

95 Accendit quasi ludo aliquo, et sic lumine
(nictat

Ut clausis oculis nos et nictamus apertis.
Nec multum pennis se se arduus erigit ille:
Impubes aetas passim puerique sequaces
Cum clamore ruunt multo, manibusque prehen-

(dunt.
100 Rarum aliquem credas manibus portare
(pyropum;

Portant captivum culicem, et modo vita supersit,
Non illum fulgore *Adamas*, aequetve *Pyropus*.

Ludit in orbe *DEUS*. Sed quanta in lusibus
(ipsis

Ars est! Artificis *Summi Sapientia* summa est.

PULCHRITUDO.

Quorum si specie dele-
ctati Deos putaverunt
sciant quāto his domi-
nator eorum speciosior
est.

Sap. 13. v. 3.

CARMEN XIII.

Si quis pulchri *Hominis* nil miraretur, et unam
Quam jactat a tergo peramaret perditus umbram,
Et repens pedibus, pecudum de more, quaternis,
Inter blanditias inter mulcentia verba,

5 Amplexus mille, et mille oscula porgeret
(umbrae:

O quantae *sannae* in miserum, risusque crepa-
(rent!

Increpitare etiam dementem cuique liceret:
Quid facis! Quae te miserum dementia coepit?
Quid frustra demens fugitivam amplecteris um-
(bram?

10 Si tamen illa tibi potuit formosa videri,
Nonne vides quanto Dominus formosior ipse est?
Hunc sequere, hunc et ama. Sed nos committi-
(mus ipsi

Haec eadem, quae tantopere objurgamus acerbi
Censores: furor idem, idem nos fascinat error,

15 Atque eadem jam nos pridem dementia
(coepit.

Umbras insani sectamur, amamus et umbras.
Repimus, et lippos oculos vix tollimus unquam
Ad rerum Dominum, et cum sit Pulcherrimus

(unus

Ille, illo nobis formosior umbra videtur.

20 Sunt, fateor, Coeli, Sol, Luna, et Sidera
(pulchra:

Stulti homines specie capti, attonitique putabant
Esse Deos: at debuerant cognoscere, *quanto*

Qui Solem accendit, Sole est speciosior ipso.

Ast apage ista, inquis: jam pridem insania tanta,

25 Excussa est, tantus jam dudum evanuit
(error.

Esto: et nec Solem jam homines nec Sidera
(adorent.

Quid juvat hoc, pejora sibi si Numina fingunt,
Pejoresque Deos quam sunt Sol, Sidera, Luna?
Foemina quae placuit Deus en mortalibus una

(est:

30 Haec, Luna, Aurora, Sole est et pulchrior,
(ipsis:

Hanc [ipsi ut dicunt, ultroque fatentur] *adorant.*
Eja age, et huicce tuae pulchrae bellaeque puel-

(lae

Deme animam. Quid jam superest? En triste ca-
(daver.

Extinctosque oculorum ignes, et lilia frontis

35 Pallida, pallentesque genas! Jam murice
(toto

Livent amisso, et male hiantia labra dehiscunt!
Omnia foedavit subito Mors impia! Quantam
Heu cladem! Teter successit pallor, et horror,
Incubuit super tam foedae stragis acerbum!

40 Aruit ut foenum caro, et ut flos marcuit
(agri!

O ubi nunc demum decor ille, et laeta venustas?
Nempe haec praestabat qui spiritus intus alebat,
Haec dabat illi Anima et totum, hac abeunte,

(recessit

Egregium decus et formosi gratia vultus.

45 Umbra et imago DEI, Divinique halitus
(oris

Est Anima. Haec jam compedibus, vinclisque
(soluta

Corporis, ut recreat se se! Et quae vincula rupit
Quaeque diu traxit, nec sensit, libera tandem

Miratur! Meminit coelestis originis, ardet

50 Et properare fuga, et scelerata excedere
(terra,

Illacque, unde fuit sibi origo prima, reverti.

Pulchrior est cunctis coelestibus ignibus: illam
Attoniti colorum orbis mirantur euntem.

Quaque incedit, pro floribus aurea spargunt

55 Lumina, consternuntque viam, pedibusque
(beatis

Sidera supponi et calcari ardentque petuntque.

Tanto Sidereis Anima est formosior astris!

Conjice, si poteris, quanto formosior ille est,

A quo processit tanquam levis halitus, ille

60 Spiritus, et cujus mera vix est umbra et
(imago.

O DEUS, o quotquot sunt Formosissime rerum!

O si fas oculos hinc ad te attollere nostros!

Illicet ah quantum sorderent omnia nobis!

Pulchra suapte ad se se oculos rapiuntque
(trahuntque,

65 Et Pulchri unus inest amor omnibus una
(voluptas.
Sed caecutimus nec quae sint pulchra videmus.
Decipimur miseri, et larvatis ludimur umbris.
Mentita specie capimur, formaque caduca,
Quae senio, morbo tabescit, floris et instar,
70 Decidit, aut uno Mors illam demetit ictu,
Atque immaturae falcem supponit aduncam.
En de vultu ipso faciunt jam pabula vermes:
Itque reditque: suosque ibi textit aranea casses.
Forsitan ingratum nolis intrare sepulchrum:
75 Fac vivat, vigeat Mulier formosa, juventa:
Et candore nives, ut vis, et lilia vincat.
Fac, charites veniant ipsae, adnixaeque laborent
Usque ad miraculum pulchros effingere vultus.
Forte Helenam faciant, nova sint incendia Trojae
80 Hectorae certent, Agamemnoniaeque pha-
(langes:
Scuta virum, galeasque, et trunca cadavera vol-
(vat
Rursus, et horrescant Simoënti a sanguine flu-
(ctus:
Dux erit et tantae pulchra una haec foemina
(cladis.
Nulla unquam strages, aut pestis acerbior orbem
85 Vastavit, nulla aut tam dira incendia,
(flammis
Tot Populus unquam, tot Regna exhausit et ur-
(bes.
Foemina principium luctus fuit una, malique:
Unaque Mortales nos foemina perdidit omnes.
Hanc tamen, hanc homines furiosi ardent, et
(adorant.

90 Posthabito Te, contemptu, DEUS alme,
(nefando,
Sacriligo nunc thure calent, adolentur et arae,
Et prope Divini carni cumulantur honores.
Tu DEUS hanc tam flagitiosam discute no-
(ctem:
Impera, et has Clemens tam caecas pelle tenebras
95 Ex oculis hominum miserorum, oculisque
(medere.
Caecique et stolidi stimulos avertito amoris
Te DEUS alme; unum Te cernere, Teque videre
Felices faciet nos, et sine fine beatos:
Nos quoque formosos reddes, pulchrosque, vi-
(dendo:
100 Ut pulchra est Luna, atque aliena luce re-
(nidet.
Interea DEUS alme, tuo impertire Poëtae
Divinum Lumen, Divini et Luminis auram,
Nempe ut de Te uno deinceps jam cogitet, et Te,
Nam solus tandem *Pulcher* Tu es, diligat unum.



AETERNITAS, IMMUTABILITAS.

Apud quem non est
transmutatio nec vicis-
situdinis obumbratio.

Jac. 1. v. 17.

Ego enim Dominus,
et non mutor.

Malach. 3. v. 6.

CARMEN XIV.

Aspice ut inconstans est, et mutatur in horas,
Et nunquam Lunae est nec vultus nec color idem.
Æmula nunc fratris, toto, et pleno ore refulget;
Dimidiata nitet nunc, dimidiata nigrescit;

5 Et nunc obtusis, modo acutis cornibus ar-
(det,

Nunc tota obruitur, penitusque immergitur um-
(bris.

Jam nusquam apparet, nec fas jam cernere Lu-
[nam,

Illius in coelo vestigia nulla supersunt.
Sic et mutantur quae subsunt omnia Lunae.

10 Quin Sol haud constat sibi, nam sordescit
[opacis

Obscoenis maculis, nec totas abluet unquam:
Densantur circum fumo, et fuligine crustae,

Et mutat, vertitque locum, et consistere nescit.
Omnia vertuntur coelo terrâque marique.

15 Unus mutari, maculasque vicesque subire
Duntaxat nescit DEUS. Immutabilis, idem
Qui nunc est, fuit aeternum, aeternumque ma-
(nebit.
Nondum tempus erat, nec Sol, nec Luna, neque
(Astra,
Quae metirentur revoluto tempora cursu:

20 Necdum coelestes orbis, necdum Mare;
(Tellus
Extulerant caput e nihilo; sed cuncta nigrabant
Æternis retro tenebris, altoque sopore
Obruta, nec somno ultro unquam solvenda jace-
(bant;
At DEUS idem et erat qui nunc est, quantus et
(est nunc.

25 Tempus erit, cum Sol totus noctescet, et
(alto
Praecipitata ruent pallentia Sidera coelo,
Cynthia formosos turpabit sanguine vultus,
Totus concuso titubabit cardine Mundus,
In nihilumque unde et sunt eruta cuncta redi-
(bunt;

30 At DEUS idem et erit qui nunc est quan-
(tus et est nunc.
Quantumvis paleae multae volvantur inanes
Et nebulae circum, tamen est immotus et haeret
Mole sua, et multum nubes excedit Olympus.
Non ut homo DEUS annis, aut aetate senescit.

35 Mille anni nihil illi omnino, suntque perinde

Tanquam hesternus dies, quae jam fugitiva recessit. [a]

Contra homines sumus instar fumi, instarque vaporis,

Qui fugit ex oculis, evanescitque repente.
Tantisper sumus: at mora nulla est: fumus abibit.

40 Quanto, qui vivunt, plures vixere, nec ultra
Jamsunt? Discussus vapor ille est: transiit umbra,
Quot sunt vel Reges, quorum vel nomina novit
Nemo, et vix docti an fuerint meminisse laborant?
Nec jam soli homines, Populi quoque, Regnaque
(et Urbes

45 Instabiles ut homo sunt, intereuntque caduntque.

Quae fera Carthago Romanis desuper altis
Moenibus intonuit victrix, Cannisque superba,
Ex Aniène ipso Tibri insultavit et Urbi,
Jam nihil est. Mutum quod passim littus aratur,

50 Hoc superest: disceptaturque et opinio vix
(est
Nunc: ubinam fuerint quondam Carthaginis arces.

Quid Tyrus, et Sidon? Quid quae miracula Mundi
(do

Tot, sola enixa est Babylon? Mera nomina jam
(sunt.

Ah Babylon, Babylon! Ubi nunc Miracula, et
(Horti

55 Aërii? Turres? contermina moenia coelo?
Nusquam. Restabant quae rudera, tesquaque
(Pardis,

(a) Psalm. 89. v. 4.

Jam non sunt: ipsa haec periere: et nomina sola
E tantis aegre, et vix emersere ruinis.

Humanum nihil est firmum: Absumuntur ab annis

60 Omnia: suntque etiam lapides, et saxa caeduntur.
(duca.

Parietibus, Muris, Regnis, atque Urbibus ipsis
Mors instat: brevis est, volucris et pede volvitur
(aetas.

Stat sua cuique dies. Mortalia cuncta peribunt.

Unum Immortale est, unum Immutabile Numen,
(men,

65 Quod nunquam retro incepit, nec desinet unquam.

Finem alij, sed principium nescit DEUS unus.

Uni est vita simul tota, et successio nulla,
Nullae in Mente vices: neque enim ut nos, cogitant ille:

Divinae Mentis nulla aut conceptio transit,

70 Aut amor aut odium nunc est, quod non erit olim,

Aut quod non fuerit retro sine fine per aevum.
Non hoc, deinde aliud, fluxa, ut nos, mente revertitur:

Non animus se se studia in contraria scindit
Mobilis, aut varius nunc huc, nunc vertitur illuc:

75 Mens immota manet, manet aequae immota voluntas:

Et solus DOMINUS sic Immutabilis ipse est.

Ad vocem, nutumque hominis stetit attonitus Sol

Horis bis senis, stetit et contraria Phoebus.
Quot portentifica Moses miracula Virga

80 Edidit? Omnipotens pene, et DEUS esse
(videtur:
Ægyptique DEUM Mosem DEUS ipse voca-
(bat. [a])

Praesagire, et magnifico ore tonare futura
Quamquam Divinum est; tamen hunc Mortali-
(bus aegris
indulget DEUS interdum, et concedit honorem.

85 At non incepisse unquam, prorsusque
(carere
Principio, et nec verti animo, nec mente moveri,
Hoc est esse DEUM. Nec fas concedere tantum
Mortali. DEUS ille est, qui non coeperit esse,
Immotaque queat simul amplecti omnia mente:
90 Et solus DOMINUS sic *Immutabilis* ipse
(est.



(a) Constituit te Deum Pharaonis. Ex. 7. v. 1.

SANCTITAS.

Sanctus, Sanctus,
Sanctus Dominus
Deus.

Isa 6. v. 3.

Apocal 4. v. 8.

CARMEN XV.

Audiit Esaias Sacrum hunc pea canentes
Coelstes illos Genios, quibus undique senae
Surgebant alae: velabant ora duabus,
Velabantque pedes binis, binisque volabant.

5 Audit ingeminatum ipsum hunc pea Joan-
(nes:

Et quamvis alias sibi tum sumpsere figuras
Hic Hominis, Bovis, atque Aquilae illi, atque
(ille Leonis;
Hi tamen Angeli erant, et erat quoque carmen
(id ipsum:

Et SANCTUM, SANCTUMque DEUM,
(SANCTUMque canebant.

10 Hoc indefessi ingeminant noctesque dies-
(que,
Et nunquam cantu cessant, nec voce quiescunt.
Cum sint innumere quas possent dicere laudes;
Praetereunt alias; placet hanc iterare canendo:

Hocque unum, Sanctum esse DEUM, meminisse
(videntur.

15 Sciliset haec tua, SANCTE DEUS, Divina
(voluptas,

Hoc te delectat carmen, laudumque tuarum
Praeplecet haec, hunc et paeana libentius audis,
Sanctus es, et *Santus* rursumque iterumque vo-

(cari
Mavis, quam *Sapiens Immesus*, quidquid et omne
(es.

20 Quin malles non esse DEUS Sanctusque
(manere,

Si fieri id posset, siquis DEUS improbus esset,
Quales mentita est, et quales esse volebat
Stulta superstitio, plenaque adolebat acerra.

Ante ignesque et aquae se se inter obilta prioris
25 Dissidij, cōeant, aeternaque foedera jun-
(gant,

Ante dies nocti, et nigris miscebitur umbris,
Pellere dediscet nox lucem, luxque tenebras.
Ante ruet totum, quassato cardine, coelum,
Et tanti casus nos expertesque ruinae

30 Stellarum, et Solis passim calcabimus ignes,
Quam te, Sancte DEUS, tangant contagia culpae.

Sanctus es, et coeli coram Te sidera sordent.
Nec sunt munda satis. Multo illis purior es Tu,
Nemo ut Tu Sanctus: Sancti Tu regula prima,

35 Et norma es: tua Lex Sancta indelebilis
(haeret

Usque infixis animis nostris, damnatque nocentes,
Nec silet unquam, aut dissimulat, sed torquet,

(et angit,
Terrificatque animos. et surdo verberare caedit.

Siquid peccamus, siquid committimus, ipsa

40 Supplicium sibi mens est pravi conscia facti.
Nam te sentimus praesentem, teque veremur,
Quantumvis latebras sceleri quaeramus et um-
(bras,

Sitque sine humano teste ullo, et iudice crimen.
Sanctus tu es, scelerum quoque es implacabilis
(ultor,

45 Et tua nimirum, tua nos praesentia terret.
Sancta quoque est tua magna Domus, nec li-
(mina adire

Fas, cuiquamve datum, nisi sancto fine quierit,
Elueritque omnes, siquas dum vita manebat,
Admisit sordes. Quod si nondum eluit omnes,

50 Siqua inolescit adhuc, superestve, arcebi-
(tur exul

Ille Domo, Regnoque tuo, et coelestibus oris,
Exiguam donec maculam longo igne piarit,
Et nive candidior, luce et sit purior ipsa.

Humanum nimium genus est miserabile, et
(ultro

55 [Postquam primaevi nos infecere Parentes]
Labimur, infirmis gradimur per lubrica plantis.

Undique circumeunt nos millepericula, et hostes
Immities: laqueos passim illecebrosa voluptas

Abscondit, clamque aggreditur: furor, iraque
(mentem

60 Praecipitant, multa vi in praeceps omnia
(vertunt.

Interea Ambitio furit, insatiabilis ardet,
Ardet et argenti nunquam satiata libido,
Perstringitque oculos splendore, obcaecat et au-
[rum.

Sic increbescit magis, et magis impia saevit

65 Funesta illius primae contagio noxae.
Quis queat hanc adeo exitialem avertere pestem?
Quis mundos facere ex immundo semine na-

[tos? [a]
Tu solus, Tu Sancte DEUS, qui tergere labem
Antiquam ut posses, vestitus corpore nostro,

70 Et carnem humanam indutus: moribunda-
(que membra,
Sanguine lavisti. Nam sic insederat alte
Ut nisi Divino non posset sanguine tolli.

Nunc paucis verbis, modicisque absumitur undis
Quae macula Heröas veteres, Sanctosque Pa-

(rentes
75 Mille aliquos, alios ter mille atque amplius
(annis

Post mortem, extorres Patria, Regnisque beatis,
Carcere detinuit moesto, et nigrantibus umbris.
Quin modo flagitii nosmet scelerisque peracti
Poeniteat memores poenae, nostrique, Deique,

80 Continuo maculis, quas ultro admisimus
(ipsi,

Abluimur rursus verbo, dant verba salutem,
Quae facili et grandi Judex tonat ore Sacerdos.
Usque adeo Sanctus DEUS es Tu! Reddere
(Sanctos

Mortales miseros terreno et corpore cretos

85 Tu potis es solus, solus tu crimina tollis,
Efficis et mundos quamvis ab origine prima
Infectos. Tu succurris, Tu maximus aegris
Auxiliator, opem Sanctam, viresque ministras:

(a) Job. 14. v. 4.

Deinde triumphali victricia tempora lauro
90 Ipse manu cingis; quin plus concedis ho-

(noris:
Nam Pugilem Victorem in natum Tumet adoptas.
Filius ille tibi Tuus est [Dignatio mira!]
Consortemque tuae naturae tu facis ipse,
Haeredemque tuum, tuaque ipsum gratia circum

95 Undique et exornat, divino et lumine ve-
(stit.

Millia Sanctorum palmis variisque coronis
Insignes, implent quae plura sedilia coeli
Exturbati olim vacua effecere, ruina,
Angeli ab aethereis oris in Tartara trusi.

100 Nunc Sanctorum hominum sedes chorus
(occupat illas:

Occisi Agni omnes lavere in Sanguine vestes.
Et fulgore nives, Phoebeam et lampada vincunt.
Ut varios carne induti peperere triumphos,
Sic palmae in manibus variant, variantque co-
(ronae

105 Queis depingendis nulli satis esse colores,
Nulla manus, vox nulla: silet stupefacta Poësis,
Arescuntque omnes exhaustae Aganippidos un-
(dae.

Omnibus in vultu est, qua se se a pectore fundit
Laetitia, exultant omnes, plaususque sonoros,
110 Et miscent circum choreas Agnumque
(sequuntur,

E! SANCTUM, SANCTUM, SANCTUM ingeminant-
[que.